

DISSERTATIO ACADEMICA,  
*TRACTATUM R. MAIMONIDIS*  
DE  
*SEPULTURA ANIMALIUM,*  
VETERIBUS HEBRÆIS USITATA,  
BREVITER ENUCLEANS.

---

QUAM

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERUNT

*HENRICUS ARENIUS,*

PHILOSOPHIÆ MAGISTER,

&

*GABRIEL FORTELIUS,*

STIP. REG.

BOREA FENNONES.

IN AUD. PHYSIC. DIE XXVI MARTII MDCCCVII.  
H. A. M. C.

---

*ABOË,* TYPIS FRENCKELLIANIS.

1.

VIRO  
ADMODUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO  
DOMINO MAGISTRO

JOHANNI ARENIO,

ECCLESIE, QUÆ DEO IN MÏJETOIS COLLIGITUR,  
SACELLANO DEXTERRIMO,

PATRI BENIGNISSIMO,

ב אב בחסדותא  
ית פלפול די אנה  
מקריש לך אידנא  
מן שפירות לבא:  
שאל אנה מן אלהא  
לך כל טוב בארענא  
וכתר פטירה ישוי על דישך  
כלילא רקודשא ליקר לך:

PATRIS BENIGNISSIMI

*Filius Obedientissimus*  
HENRICUS ARENIUS.



## PROOEMIUM.

**I**n deliberando de idoneo Studiorum Specimine, in hoc, de *Animalium Sepultura, veteribus Hebræis usitata*, argumentum incidi. Priusquam vero ad propiorem Thematidis propositi considerationem progrediar, in antecessum ingenue fatear, necesse est, etiam ipsi mihi displicere, quod *Disfertatio hæcce*, sola materiei gravitate, quæ quidem tanta est, ut vel fummis ingeniis negotium facescere possit, commendabilis, inæmpta nimis in lucem prodeat, & impolita. Ne tamen provinciam deserens, a cœpto resilirem, fecit cedro dignam hæcce Philosophi perspicacissimi *Monitum: Hoc ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis; si minus, paucis, si minus, proximis: si minus, sibi (α).* Quod & mihi dictum esse ratus, tentabo aliqua, & faciam paucula. Alii offerant ampliora, ego farre & fiscella religiosus ero.

A

§. I.

§. I.

דאלו הן הנקברים קדשים שהפילו יקברו  
 הפילה שלה תקבר שור הבסקל — ועגלה  
 ערופה וצפודי מצודע ופטר חמור ובשר בחלב  
 יחולצן שנשחטו בעורה: id est:

*Hæc sunt, quæ sepeliuntur, inquit Rabbi Maimonides (α), Sancta, quæ abortum fecerint, si abortiverint secundinas, sepelientur. Bos lapidandus, vitula decollanda, aves leprosi, primogenitus asinus, caro cum lacte, & profana in Atrio mactata. Hæc animalia inter cætera terræ committere solebant veteres Hebræi, siue religione ducerentur, ut illud facerent, siue averfarentur res ejusmodi quæ terræ mandabantur, & earumdem metuerent inquinamentum.*

§. II.

Antequam vero ad propiorem susceptæ materiæ tractationem accesserimus, necesum forte erit, aliquid prælibare de primogenitis quibusdam animalibus, quæ terræ condere solebant veteres Hebræi. De his ita apud modo laudatum R. Maimonidem videre est: Si quis primogenitum animal mactaret, sine jussu vitia censentis, & postea ipsi innotesceret ejus vitium, licet vitium per mactationem non esset mutatum, erat prohibitum & tumulabatur, sicut animal

---

α) In tractatu *De Sacrificiorum Commutatione* cap. VII §. 4 Edit. Amstelædam, anno 1702.

mal primogenitum mortuum (α). Et ulterius: Si quis primogenitum mactaret, idque venderet, at non ostendisset promoti, debuisse pretium reddi, & carnes, quas nondum comederant emtores, terræ committi (β). His sic quidem præmissis, sequitur, ut de animalium, paulo supra allatorum, sepultura sigillatim exponatur. Sepeliebantur itaque, docente modo laudato Maimonide, abortus animalis primogeniti, colluvies sanguinis, per abortum ejecta (γ), nec non excisus ex matre primogenitus (δ). Huc etiam referimus secundiam ex pecore sacro partam, quæ itidem terræ mandanda erat (ε).

§. III.

Pari modo sepeliebatur שרר הנסקל *Bos lapidibus obrutus*. Injungitur enim Exod. 21: 28. ut bovem cornupetam ad mortem usque lapidare oporteat; ad quem locum egregie observat R. MAIMONIDES (ζ) vocem hebr. נגיה חרור significare tantummodo actionem, qua pecus cornu ferit, & sic differre a נגיה פור, quæ quocumque corporis membro

A 2

pe-

α) De primogenitis cap. 4. §. 3. 4.

β) Ib. cap. 5. §. 6.

γ) Ibid. cap. 3. §. 1.

δ) De profanis cap. 4. §. 2.

ε) Ibid. cap. 4. §. 7.

ζ) Babha Kama cap. 1. §. 4.

peragitur. Præceptum verò illud Mosaicum non solum ad bovem ac taurum, verum etiam ad alias bestias & feras extendit, quin & ad aves ascendit, quoties in cædis humanæ causâ fuerint (α). Hujusmodi bovem neque comedere, nec vendere, imo ne quidem carnes ejus canibus objicere licebat, quamvis post lapidationem mactatus esset, & alias mactatio res, esui illicitas, redderet licitas; sed defodiendus erat, ne vel minimum ex eo perciperetur commodum (β). Lapidandus autem erat ejusmodi bos, non ideo, quod homicidium non inultum maneret, ut somniant *Interpretes Vinarienses* in vers. 32; sed propter horrorem facti. *Bruta enim propter hominem facta sunt, & propter hominem destrui possunt, vel ad hominis poenam, vel ad emendationem, vel ad præcautionem in futurum:* uti recte observant RIVETUS & LYRA (γ) Pari ratione judicat hac de re CORNELIUS a LAPIDE, dum dicit: *Si bos cornu percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, non ob bovis culpam, (hæc enim esse non potest in bruto) sed ad terrorem & exemplum hominum, ut eo scilicet homines magis ab homicidio absterreantur. Unde etiam hodie porci aliæque bestiæ, si pueros hominesve occidant, suspenduntur & necantur* (δ).

§. IV.

α) De damnis pecuniariis cap. 10. §. 4.

β) Maimon. de cibis vetitis cap. 4. §. 22.

γ) Synof. crit. Poli sacr. pag. 387.

δ) In h. l. edit. Antw. T. I. pag. 459.

§. IV.

Præter hæc jam allata animalia sepeliebatur quoque עַרְוֵפָה עֵגְלוֹ vitula in usum expiatorium, ejus injicitur mentio Deut. 21: 4. seqq. *decollata*. Lege namque non minus, quam more sancitum erat ut, si inveniretur cadaver hominis occisi, & de auctore non constaret, quinque e Senatu magno Hierosolymitano egrederentur, distantiamque inde ab occiso ad latus urbium circumjacentium metirentur( $\alpha$ ). Seniores vero urbis, quæ cæso esset proxima, cadavere ejus more Majorum humato, vitulam jugo nondum subditam ( $\beta$ ), ex armento civium

cape-

$\alpha$ ) *Et exibunt Seniores tui & Judices tui, & mensurabunt.* Deut. 21: 2. His Senioribus & Judicibus Senatum Magnum Hierosolymitanum innui, constat ex Gemara, ubi R. SIMEON sic ratiocinatur: *Si exire tantum jusisset Deus Opt. Max. זקניו זקניו facile induci potuissem, ut crederem sufficere, si Senes quicumque etiam e trivio prodeant. Notanter igitur dictum זקניו זקניו. Quod si vero intra hæc substitisset Deus, liceret opinari, etiam minoris Synedrii Senatores fungi hoc officio posse. Ergo adjicitur vox וְשׂוֹפֵטוֹ, ut constet, judicum excellentissimos innui. Errant itaque Interpretes Vinarienses, contendendo, seniores vicinarum urbium exivisse, spatiumque ad urbes circumjacentes mensurasse, ut illis innotesceret, quænam urbs juveneam adducere deberet.*

$\beta$ ) *Vitulam jugo nondum subditam, sibi offerri jusit Summum Numen, quod mos ille, ad honorem sibi debitum asserendum plurimum inserviret, & quod Gentiles,*

caperent, & in torrentem rapidum deducerent (α)  
feces-

(Ægyptii nimirum, Græci, Romani, ) morem illum sancte retinerent. Animalia itaque δεδασμένα, ως ηδε καδαστωμένα τοις ποιοις, aris inepta credidisse Ægyptios, testis est CHÆREMON ÆGYPTIUS ap. Porphyr. de abst. 1. IV. §. 7. Pari modo laudantur Græcis indomitæ juvencæ: talem nempe promittit PALLADI DIOMEDES *Iliad.* 10. v. 292. 293. his verbis: Σοι δ' αυ εγω ξεξω σου ηνιν ευρυμετωπον, αδμητην, ην ουπω υπο ζυγον ηγαγεν ανηρ: Et NESTOR *Odysf.* 3. v. 382. 383. Eandem religionem & Romanos incestisse, constat ex hisce ARNOBII verbis: *Minerva Virgini Virgo ceditur vitula, nullis unquam stimulis, nullius operis exercitata conatu, L. 7. advers. gent.* Quod etiam docet VERGILIUS MARO l. IV. *Georg.* v. 550, 551. canens: *Quatuor eximios præstanti corpore tauros Ducit Et intacta totidem cervice juvencas.*

- α) Vox נחל & torrentem & vallem notat. De valle præter recentiores etiam LXX, *Joseph.* l. IV. antiq. cap. 8. & vetus vulgatus vocem explicant. Favet istis non obscure Textus hebr. נחל איתן אשר לה יעבר כו ולא יורע: לXX Φαραγγα τραχηλαι, η τις εν: ερεγασται, εδε σπειρεται. *Joseph.* Φαραγγα και ανεπιτηδειον αροτρα και φυτοις χωριον. Vulgat: *Vallem asperam Et saxosam, que nunquam arata est neque sementem recepit.* At Talmudistæ, quibus etiam nos adspiculamur, vocem נחל per torrentem exponunt. Inquit itaque MAIMONIDES: מורידין העגלה אל נחל ששופף בחוקה i. e. deducentes vitulam בתורה האמור בתורה ad torrentem, cum impetu sese effluentem, hunc enim sensum vox איתן in *Lege* generat: ita ABARBENEL: idem



fecespitaque caput amputarent: Quibus sic quidem peractis, Synedrium urbis istius, cum omnibus quotquot essent, Senioribus, aqua torrentis manus suas in loco, ubi vitula detruncata erat, lavarent, solenniterque in fluvio consistentes hebraice affirmarent (α):  
 וריבו

docet CHASKUNI sequentibus: אל נהל איתן אל נהר איתן כמו הובשת נהרות איתן ורואיה לדברי ורחצו ידוהם אשר לא יעבר שלא היו בו גבום להשקות קרקע הסמוך לו ולא—  
 id est: *verba* זרע אין זורעין קרקע הסמוך לו: *notant fluvium rapidum, atque sic sane Palm. 74: 15. quoque נהרות איתן legimus: id argumento est, quod de manibus lavandis sequitur. Ergo אשר לא יעבר sic interpretare, quod nulli ibi canales, ad irrigandam terram proximam; verba vero ולא יזרע quod adjacens solum incultum est.*

His etiam non repugnat versio B. Lutheri: *in einen tieflichten grund.* Nam licet eo tempore, quo vitula jugulabatur, aquis exundaret fluvius, solebat tamen per intervalla ita exarescere, ut pro fundo arido haberetur, unde & seminatio & aratio ejus prohibentur. cfr. *Jarchi in h. l. pag. 1423.* Hinc etiam facile patet, *Cel. SEB. SCHMIDIUM in nov. Bibl. versione, Argentor. edit. recte ita reddidisse: Deducentque (iidem) Seniores urbis hujus vitulam ad fluvium rapidum, qui non colitur, nec feritur, Et decollabunt ibi vitulam in fluvio.*

cf) Verba sequentia lingua Sancta efferre necesse erat. Rationem hujus aserti habemus in GEMARA, ubi verba

ידונו לא שפכה את הדם הזה ועינינו לא ראו  
*Manus nostra non profuderunt sanguinem huic, & oculi nostri non viderunt;* Deuteron. 21: 7. æque atque dicerent: non venit in manus nostras cæsus iste, neque illum sine commeatu & comitatu dimisimus; Sacerdotibus ardentè precantibus hebraice: כפר לעמך ישראל אשר פדית יהוה ואל תתן רם  
*Propitius esto populo tuo Israël, בקי בעמך ישראל quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinem in Populo tuo Israël* Deuteron: 21: 8. (α) Si autem occisus iste propius Hierosolymam, vel aliam urbem, in qua non erat Synedrium, deprehenderetur, commemoratis Magni Synedrii Asfesoribus injunctum erat, spatium ad aliam urbem, quæ Magistratu instructa erat, meti-

שנאמר וענו ואמרו ולהלן הוא אומר  
 וענו הלוויים ואמרו וגו' מה ענייה האמורה  
 להלן בלשון הקדש אף כאן בלשון הקדש:  
 i. e. Quia dictum est: וענו ואמרו hæc eadem ipsa  
 verba usurpavit Deuter. 27: 14. quare uti loco posteriori  
 de lingua sancta accipienda sunt, ita idem sensus militat  
 quoque in loco priori.

α) Et auferetur ab eis reatus להם הדם ונכפר להם  
 sanguinis: hæcce verba a Sacerdotibus non recitabantur,  
 sed a S. S. tantum adjiciuntur, ne dubitent Judæi, facta  
 hac cærimonia peracta, cædis latentis factam esse expia-  
 tionem.

metiri ( $\alpha$ ). Ubi vero in medio duarum urbium reperiretur occisus, ita ut par ad utramque esset a cadavere intervallum, tum quidem utrique urbi simul juvenca erat afferenda ( $\beta$ ). Metiebantur autem a naribus, & ad illum locum, ubi jacebat caput, corpus dirigebant, ut istic sepeliretur. Attamen hæc jam allatæ cærimoniæ non adhibebantur, si homo sub acervo occultatus, aut de arbore suspensus, aut aquis innatans reperiretur; sed tantummodo, ubi quis gladio interemptus fuisset; neque extra Palæstinam erant in usu ( $\gamma$ ).

B

§. V.

$\alpha$ ) Urbs Hierosolymitana vitulam haud decollabat; rationem hujus rei nobis suppeditat GEMARA sequentibus:  
 וַאֲמַר מִקְרָא כִּי יִמְצָא הַלֵּל בְּאֶדְמָה אֲשֶׁר יִהְיֶה  
 אֵלֶיךָ בֹּתֵן לְךָ וְקָרַ סֵבֵר יְרוּשָׁלַיִם לֹא נִתְחַלְקָה  
 לשבטים: *Jubet Scriptura decollare juvencam, cum quis casus reperitur in terra, quam Deus hereditario jure possidendam concedit. Hierosolymæ inter tribus non fuerunt divise.*

$\beta$ ) אִם נִמְצָא הַנְּהוּג מִבֵּין כּוֹן שְׁתֵּי עִירוֹת  
 וְהִנָּשִׁי זֶה כְּהִנָּשִׁי זֶה בְּשׂוּה יִבְיֹאוּ עִגְלָה —  
 אחת בשותפות: *Si cadaver jaceat in medio duarum urbium, nec altera alteram multitudine incolarum superet, vitula unica Socialis adducitur GEMARA.*

$\gamma$ ) אֵין דִּין עִגְלָה עֲרוּפָה נוֹהֵג אֶלָּא בְּאַרֶץ  
 ישראל וּבְעֵכוֹר הַיִּרְדֵּן, *Cærimonia de vitula decollanda, tantum attinet ad regiones Judæorum cis & trans For-*

§. V.

Ita etiam terra condebatur צפור מצריע *avis mactata hominis leprosi*, cujus injicitur mentio Levit. 14: 4. Erant nimirum vel duo turtures adulti, vel duo pulli columbarum parvuli, vel aliæ aves quæcunque, modo essent æquales, vivæ, mundæ, quæ ad leprosum purificandum adhibebantur (α), ex quibus tamen ea avis, quæ mactabatur, hic consideranda est. Sive enim a Sacerdote, sive ab alio quodam jugularetur homine (β) sanguis ejus cum mactaretur,

danem. CODEX EZ HECHAJIM. cfr. *Maimonides de uxore adulterii suspecta cap. 9. §. 1. 5. 6. 4. 3. 2.*

α) צפריים (aves) per duos *pasferes* exposuerunt haud pauci: ita Hebræi, kimchius nimir: Pomarius, & alii, quibus suffragantur Hieronymus, Arias M. Pagninus, Genevenses. Sed non placet quia dicitur: *Et accipiet, qui mundandus est, duas צפריים vivas, mundas, quod in pasferem non quadrat, cum avis munda sit pasfer.* Huic loco cognatus est ille Deuter. 14: 11. *omnem צפור mundam comedetis.* Unde facile patet, voce צפריים quasvis aves, modo mundas, & esui licitas, hic innui.

β) Ficulneo prorsus fiat talo sententia ALPHONSI TOSTATI, in Levit. 14: pag. 237. qua contendit, avem illam, quæ mactabatur, inter sacrificia non esse numerandam; *quia quodcunque sacrificium a Sacerdote debuerit immolari, neque aliquem alium se potuisse, (ait) intromittere de illo ministerio, quin moriretur; cum tamen, omnes mactare potuisse, constat ex MAIMONIDIS tractatu de profanis Cap. 1.*

retur, phiala testacea nova, vel vase fictili, cui aquæ vivæ quartarius logi infusus erat, excipiebatur, & deinde tumulabatur. Intingebatur autem in hujus avis sanguinem extremitas caudæ avis secundæ seu vivæ. Ceterum hæcce lex, de duabus simul avibus offerendis, quarum una mactata, altera in agros emissa, leprosus mundabatur, eo tendebat, ut Leprosus, aves utrasque Deo simul offerens, Eum cœlorum & terræ Dominum agnosceret, & se Dei illius gratiæ purgationem suam tribuere testaretur.

§. VI.

Inter animalia hæcce etiam collocatur פטר חמור *Primogenitus Asinus*, non redemptus, sed decollatus, qui describitur Exod. 13: 13. Hujusmodi asinus terræ committendus erat, posteaquam percussus fuerat(α). Neque commodum ex eo capere poterat quisquam, quandoquidem nondum redemptus fuerat(β). Præceptum enim redemptionis antiquius est

B 2

de-

α) Valent. SCHINDLERUS in *Lex. pentagl. edit. Hann. pag. 1582* contendit, asinum non fuisse sepultum. Verba ejus ita audiunt: Jer. 22: 19. *Sepelietur sepultura asini (Jojakim). Asinus non sepelitur. Targum: Sicut ejiciunt cadaver asini, ita ejicient cadaver ipsius. Sed quamvis hæc non negentur, tamen absolute & simpliciter dici nequit, asinum sepultum non fuisse.*

β) Omne primogenitum, tam ex hominibus, quam e pecoribus, mundis atque immundis, tam integrum, quam

decollationis præcepto(α). Licet autem terra conderetur asinus primogenitus, nihilo tamen minus sepultura asini in genere de ejus sub dio projectione, ut a canibus devoraretur, accipi potest(β).

§. VII.

Huic subnectitur כה לך בשר בלאו *caro cum lacte*. Interdictum enim Hebræis erat, ne carnem cum lacte coquerent, Exod. 23: 19. nec ederent Exod. 34: 26. nec ullum demum ex istiusmodi carne commodum perciperent, Deut. 14: 21. sed contumularent. Qui autem secus fecerant, plagis cædebantur(γ). Excipiatur tamen caro piscium & locustarum, quæ comedi poterat, velut etiam ova in avibus mactatis inventa. Carnem vero pecoris mundi cum lacte pecoris mundi coquere non licebat, quia dicitur in lege: *non coques hoedum cum lacte matris suæ*. Sed

VOX

vitiosum, sibi adscribit S. Numen Exod. 13: 2. Rationem præcepti Ipse addit, quando in fine dicit לִי הָיָה יְהוָה etenim is in ærumnis Ægyptiacis pepercerat Israëlitis, dum Ægyptiorum primogenitos percutiebat. Primogeniti illi hominum redimebantur V. Siclis argenteis Sanctuarii Num. 18: 16. Primogeniti autem bestiarum immundarum redimebantur pecude. Num. 18: 17. Exod. 13: 13,

α) Cfr. *Maimonides de primogenitis cap. 1. §. 7.*

β) Cfr. *Ainsworth in Levit. Edit. Londin. pag. 40.*

γ) Cfr. *Maimon. de cib. vet. cap. 9.*

vox יגל commodè quoque refertur ad vitulum & agnum, quia nihil aliud significat, quam foetum tenerum, unde etiam hœdus vocatur חזן יגל (α). Si vero caro pecoris mundi cocta esset cum lacte pecoris immundi & contra, nemine reprehendente, utilitas exinde capi potuit. Ita quoque carnem feræ bestiae vel avis cum lacte feræ bestiae, vel cum lacte bestiae cicuris coquere licebat. Non tamen cadaver cum lacte coquendum erat (β). Ad causas vero hujusce legis quod attinet, ordo quidem suaderet tractationis, ut varia variarum præmitteremus sententiarum divortia; sed opus illud majoris cum esset laboris & molis, quam artis & utilitatis, igitur de sensu loci allegati, quid nobis tantum videatur, paucis aperiendum est. Causa itaque genuina, cur coctionem hœdi in lacte materno prohibuerit lex Moisaica, hæc esse videtur, quod actio illa immanitatis speciem præ se ferat. Vult itaque hæc lex nos ad clementiam, etiam erga bruta animantia erudire, ut eo magis ad clementiam in homines informemur. Nam qui sævi sunt in animalia, plerumque in homines crudeles sunt; ideoque qui puer Athenis cornicum oculos configebat, judicium sententia damnatus fuit. Obj. hœdus jam occisus nullo tangitur sensu, quocunque modo carnes illius elixentur. Sed respon-

α) Cfr. *Jarchi in h. l. pag. 616.*

β) Cfr. *Maimonides de profanis cap. 8. §. 2. 4.*

spondemus: quamvis maētatus hœdus hoc non sentiat, tamen in decoquentis animo immanitatis speciem habet. Ne tamen nos tantum iudicio nostro tribuere videamur, ut pro nostro arbitrio rem decidere ausimus, placet adducere, quod in hæc verba præter Judæos Cel. SIMEON DE MUIS(α) commentatus est: *Studuit semper Deus omni ratione Israëlitas suos ad clementiam & mansuetudinem, etiam erga bruta animantia, erudire; ut eo magis ad mansuetudinem erga homines informarentur. Nam quorsum, quæso, spectat lex illa Levit. 22: 28. Bovem autem vel pecus, ipsum & filium ejus non maētabis die una. Præterea huic nostræ asertioni stabiliendæ robur addit R. SAL. JARCHI, docendo: hœdi vocabulum non stricte pro hœdo, sed late pro quolibet foetu animalis tenero capiendum esse, ut jam paulo supra ostendimus.*

§. VIII.

Excipiunt jam *profana in atrio maētata*, quæ itidem sepeliebantur. Accidebat enim aliquando, ut animalia domestica, nullam habentia sanctitatem, in ædem sacram decurrerent, & victimarum instar haberentur, quorum itaque carnes, ne quisquam ex iis ullam caperet utilitatem, terræ infodi debebant(β).  
His

α) *Var. Sacr. pag. 2651. ap. critic.*

β) *Ainsworth in Levit. pag. 40.*



His subjungimus *animalia pecuniis decimarum secundarum emta*. Rerum enim decimandarum aliæ, quæ, primis decimis solutis, ex iis, quæ colono relictæ erant, rebus, pendebantur, & Hierosolymis tantum comedi poterant, decimæ secundæ vocabantur. Si itaque Patres familiarum ad urbem Hierosolymitanam pervenire non possent, mittebant illas decimas, & redimebant argento, ubi autem emisissent pecora, debebant illa, pariter ac decimæ secundæ, Hierosolymis edi; sed si non esset Sanctuarium, cum pellibus defodiebantur. Hinc etiam *capreolus*, argento decimarum secundarum emtus, mortuus, cum pelle, terræ mandabatur (α). Ceterum usus *Cineris* quoque omnium horum jam allatorum animalium sepulcorum æque prohibitus erat, ac ipsa animalia, ut nulla ex ejusmodi cinere utilitas caperetur (β).

§. IX.

Jam aliquantulum divagata contracturi vela, tandem de Gentilibus pauca dicemus, quorum, in sepeliendis brutis animantibus, curas singulares fuisse, ex monumentis vetustissimis in propatulo est. Illos vero alia prorsus mente hoc fecisse, constat ex primo & tertio Legis Aquiliæ capitibus, in quibus quadrupedes & servos conjunctos videmus, & bruta  
Do-

α) Cfr. *Maimonides de Decimis Sec. cap. 1. § 6. cap. 3. § 11.*

β) *De Sacrificiorum commut. cap. 7. § 6.*

Dominis cariora fuisse, quam mancipia. Sic itaque *Alexandrum Magnum* Bucephalo suo, & divum *Augustum* equo suo, sepulcrum extrui, grato ex animo, curasse, unus inter plures testari potest **PLINIUS**(*a*). His subjungi possunt Imperatores *Lucius Verus* & *Adrianus*, quorum Illum quidem equo sepulcrum in Vaticano fecisse; Hunc autem non equis solum, verum etiam canibus sepulera constituisse, testatur **JACOBUS GUTHERIUS** in *libr. s. de jure manium l. 2. cap. 37. pag. 376.* Quod *Asyriis* & *Scythis* quoque, equos cum regibus sepeliendi, mos obtinuerit, tanto minus ambigere licet, quanto plenius hac de re edocemur a **LILIO GREGORIO GYRALDO** in *libr. de vario sepeliendi ritu Edit. Lugdun, Bat. in fol. pag. 761.*

Hæc habui, quæ de Sepultura animalium, veteribus Hebræis usitata, dicerem. Possent quidem plura in argumenti hujus ulteriorem explicationem & illustrationem adduci, verum cum sumtus pariter ac instituti ratio sit habenda, his leviter adductis, filum contentionis abrumpere convenit.

---

*a*) *Histor. Nat. Libr. VIII. cap. 42.*

